

1570 affidue hæc meditanti atque agenti, nuntius Venetiis supervenit, Aloysio Mocenico Lauretano Principi suffecto, sibi procuratoriam dignitatem majoribus comitiis delatam esse, quæ civibus iis, qui in Republica domi forisque naviter administranda vitam exegere, tribui solet.

Interea a Zannio imperatore (qui, ut diximus, Coreyram cum classe pervenerat) consilia de bello administrando habebantur. Moras abrumpendi, ac se se protinus in orientem inferendi, incredibilis ardor in cunctis erat. Verum multa remorabantur; nihil de hostium classe exploratum; nondum Marcum Quirinum cum Creticis triremibus adventasse; cum hoste, nisi cum universis viribus, dimicari non oportere. His accessebat, quod tabifica lues, quæ Jaderæ commorantem classem corripuerat, adhuc fæviret, attactuque sese diffundens, virus ad proximos quoisque transmitteret, quod atrociter adeo in miseros debacchabatur, ut nonnullos phrenitide correptos ad eam infaniam ac furorem adigeret, ut se se in mare præcipites darent; ægrotorumque multitudini neque medicamenta, neque necessariarum rerum usus suppeteret. Ejus morbi vi viginti circiter mortaliū millia ex Veneta classe absumpta sunt, atque in iis egregii complures ac nobilitate insignes viri, quos gloriæ cupiditas, ac religionis ardor ad pia in communem hostem induenda arma incitaverat. Idcirco ad classem sarcendam conversa studia: Zacynthi, Cephaleniae magistratibus mandatum, ut quotquot possebant remiges, ac milites in classis supplementum cogerent. Dum autem Auriæ expectantur auxilia, ut militum virtus ad aliquid egregii capessendum promoveretur, tentare nonnihil placuit. Sfortia Pallavicinus una cum Paulo Ursino ad Leucadem, & Nicopolim explorandam cum quatuor triremibus proficiscuntur; longiorisque operis re cognita, Margarittini, in Almenæ montibus prope Cibotam insulam oppidi, e regione Leuchimi, Coreyraei promontorii, oppugnatio decreta est. Sebastianus Venerius cum Sfortia Pallavicino, triremibus quinquaginta, in quibus quinque peditum millia, ac muralia tormenta inerant, Nistæ portu occupato, copias, machinasque exponi jubent. Verum cum a mari, secus atque ex incolis didicerant, dissimum oppidum comperissent, iterque per arduas, angustasque montium semitas, tormentis impervias, perturbata acie, haben-

*Morbi vis  
complures  
in Veneta  
classe absu-  
mptis.*